

T18

Odi I, 34  
**Crisi religiosa**

**Metro:**  
 strofe alcaica

- 1    Parcus deorum cultor et infrequens,  
 insanientis dum sapientiae  
 consultus erro, nunc retrorsum  
 vela dare atque iterare cursus
- 5    cogor relictos. Namque Diespiter  
 igni corusco nubila dividens  
 plerumque, per purum tonantis  
 egit equos volucremque currum,
- 10    quo bruta tellus et vaga flumina,  
 quo Styx et invisi horrida Taenari  
 sedes Atlanteusque finis  
 concutitur. Valet ima summis
- mutare et insignem attenuat deus  
 obscura promens: hinc apicem rapax
- 15    Fortuna cum stridore acuto  
 sustulit, hic posuisse gaudet.